3

DE RE PHILOSOPHICA DISPUTATURI THESES PROPUGNABUNT

Fr. CHRISTOPHORUS
AGROBA,
ET Fr. SALVATOR CHACON.
Fr. FERDINANDUS
ROLDAN,
ET Fr. JOSEPHUS LOPEZ.
Fr. JOSEPHUS ARENZANA,
ET Fr. PHILIPPUS SANCHEZ
PASQUAL,
OBIBIT PRÆSIDIS MUNUS
P. Fr. JOANNES SANCHEZ
PASQUAL,
IN HAC MAGNA CARMELI DOMO
ARTIUM LECTOR.
CONTENTIONI PARABITUR LOCUS
IN PRÆFATÆ DOMUS HISPALENSIS
TEMPLO
DIEBUS 2. 6. ET 10. DECEMBRIS.
Anno Dñi. MDCCXC.

HISPALI: Cum approb. D. Censor. Regii, & cum licent. ex Typographia D. Josephi Codina, in vico de las Armas, juxta S. Anton. Abbat.

De credendis nullâ infidelitate dubitemus, de intelligendis nullâ temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda est in his veritas exquirenda. Sanct. Aug. lib 9. de Trinit. cap. 1.



S.P.N. AUGUSTINUS.
A 1782

MAGNO PATRI ECCLESIÆ,
FILIO VERITATIS,
DOCTORI, AC MAGISTRO
INCOMPARABILI,

INGENIORUM AQUILÆ,
HUMILI PARITER ET SUBLIMI,

DEMITTENTI PENNAS USQUE AD IMA,
ELEVANTI USQUè
AD INCOMPREHENSIBILEM DEITATEM.

MIRACULO NATURÆ,
CUI ARTES, ET DISCIPLINÆ OMNES
CÆTERIS HOMINIBUS DIFFICILES, AUT
INACCESSÆ, FACILES, ET OBVIÆ
SINé PRÆCEPTORE FUERUNT.

MIRACULO GRATIÆ,
QUÆ ERRANTEM, ET PROFUNDè JACENTEM
ILLUSTRAVIT, ACCENDIT,
INFLAMMAVIT, EREXIT.

MIRACULO FIDEI,
QUAM SEMEL ACCEPTAM SEMPER
RETINUIT, FOVIT MENTE, CORDE, LINGUâ
VERBIS, AC SCRIPTIS, DEFENDIT,
VINDICAVIT, ATQUE TRIUM-
PHANTEM REDDIDIT.

AB ATHEIS, ETHNICIS, JUDÆIS,
HÆRETICIS, ET SCHISMATICIS.

MI-

MIRACULO DOCTRINÆ,
IN HUMANIS DISCIPLINIS
ILLUSTRANDIS,
IN DIVINIS SCRIPTURIS FIDELITER
EXPONENDIS,
IN FIDEI DOGMATIBUS ASSERENDIS,
ET PLENè VINDICANDIS.
ELOQUENTIA MIRA, SUBTILITATE
SUMMA, DEXTERITATE RARA.
MIRACULO SAPIENTIÆ,
VARIIS VOLUMINIBUS SPARSÆ,
LATÆ, ET PROFUNDÆ INSTAR
OCCEANI,
INQUA SUPERBÆ RATES FECERè NAUFRAGIUM, CYMBÆ HUMILES LACTEO
MARI AD PORTUM
PERVENERUNT.
DIVO AUGUSTINO,
INQUAM, HUMILITATIS, CHARITATIS,
ET SAPIENTIÆ PRODIGIO
IN AMORIS, ET BENEVOLENTIÆ
ARGUMENTUM
Fr. JOANNES SANCHEZ
PASQUAL,
CUM SUÆ DISCIPLINÆ ALUMNIS
HAS PHILOSOPHICAS PROPOSITIONES
N. D. R. MENTI ACCOMMODATAS
N. D. C.

ASSER-

ASSERTUM PRO PRIMA DIE.
Manè.

Fr. CHRISTOPHORUS AGROBA.

DE HISTORIA.

I. RELICTA græci nóminis ætymologiâ, Philosophiæ nomine intelligimus cognitionem veram, certam,& evidentem rerum naturalium per causas.

II. Philosophiam, qualem eam modó definivimus, non solum possibilem esse, sed reverà existere, propria, eorum, quæ in nobis fiunt, experientiâ cognovimus.

III. Eam autem scientiam esse, siquis fortè dubitaverit, ex intimo conscientiæ testimonio venit refellendus.

IV. Quamvis Philosophiam existere certissimum sit, si tamen ipsius propè infinitam amplitúdinem contemplemur, vitæque brevitâtem, & mentis humanæ tenuitatem meditêmur, fatêri nos non pudêbit

bit eos etiàm, qui summi apud nos audiunt Philosophi, pauca admodum, & feré nihil cognovisse.

V. Philosophiâ ergò in nobis est valdè imperféċta.

VI. Philosophiam deinde, quam non nisi longo comparâmus labôre, primo hóminum Parénti à Deo insitam fuisse liberáliter omnes ad unum testántur.

VII. Et quamvis dona illa præclarissima jure quasi hæréditário ad nos omnes pervenissent, fide tamen docêmur orthodoxâ, Adâmi peccáto humánam mentem vulneratam fuisse, tenébrisque suffúsam.

VIII. Quò factum est, ut sapiéntiæ honestissimos fructus, ac Philosophiæ rationes magno teneretur homo studio comparáre.

IX. Atque láborem, diligéntiam, meditationem in causis esse, quod ad nostram hanc ætatem philosophia pervenerit in compérto est.

X. Hoc non obstante, Philosophia à primà mundi ætate ad nostra usque tempora licèt magna vicissitúdine constantèr propagâta fuit.

XI. Multa quidem á primo Parénte in filios variârum doctrinârum sémina transmissa oreténùs fuére; præcipuè quæ ad Dei cultum, mundique originem spectâbant.

XII. Facilé igitur propagâri Philosophia pótuit ab Adâmo ad pósteros ante dilúvium.

XIII. Post dilúvium, ac præsertim post confusionem linguârum, hómines in várias mundi plagas dispérsi non nihil studium sapiéntiæ obliviòni mandárunt; illud tamen non desièrunt omninó.

XIV. Ad Hebræos propterea; Caldæos, Phænices, Persas, & Arabes, Indos, & Ægyptios potuisse assérimus ex Adâmo Philosophiam propagâri, & fuisse reapse propagâtam.

XV. An veró filios suos, atque pósteros Adâmus Philosophiam docuérit suis quidem régulis distributam, ut clarus asserit Genuénsis, ignorámus omninò.

XVI. Est tamèn pósitum in perspicuis, antiquos hómines rerum certé plurium habuisse notitiam, pluraque feliciter detexisse.

XVII. Fatêmur nihilominús cum Angélico Doctôre priórum illôrum sapiéntum Phílosophiam (excéptis Hebræis in iis præsertim, quæ ad Religiônem, & mores spectant) fuisse valdè imperféctam, plurimisque implicâtam errôribus.

XVIII. Sed primi, quibus tota debetur Philosophia, Græci recenséndi, qui sparsas úndique régulas, notiônes, & præcépta in compéndium redegêre, litterisque & pósterum memóriæ mandârunt.

XIX. Atque primos hos philosophos in plúrimas sectas abiisse usque ad nostra témpora certo cértius judicâmus.

DE LOGICA.

XX. ETSI Lógicæ natúralis nómine insita hóminibus ratiocinândi vis intelligátur, Logicæ artificiális appellatiône facultátem, quæ mentem præparat, ad verumque dirigit, intelligimus.

XXI. Ratione, & experientiâ adstruimus præter Logicam naturalem artificialem existere.

XXII. Plures in ipsâ partes esse in qua dividi possit, asserere non dubitamus.

XXIII. Sustinemus præterea ipsam in qualibet parte veré, & proprié scientiam esse, quin obstet quandam cum arte habére similitudinem.

XXIV. Eam deindé prorsus, & omninó cæteris disciplinis perfecté comparandis necessariam esse tuemur.

XXV. Theoreticam necnon esse simpliciter (ut ajunt) & aliquo sensu practicam fateamur oportet.

XXVI. Hujus autem scientiæ, objectum formale est (ut schola loquitur) intelligibilitas secundarum intentionum.

XXVII. Distinctionem præterea inter prædicata metaphysica admittimus libentissimè.

XXVIII. Quam realem esse, ordine ad intellectum habito, quemadmodum & invénit, & decoravit, & propugnavit V. N. D. R. conténdimus.

XXIX. Admittimus etiam in rebus naturas esse universales.

XXX. Ipsas veró non in linea physica, ut loquuntur, sed in linea intentionali, ut Baconistarum est sermo, reperiri, sentimus.

VESPERè.

Fr. SALVATOR CHACON.

DE CRITERIO VERITATIS.

XXXI. NOrmam, sive regulam judicandi Criterium veritatis appellamus.

XXXII. Rationem humanam in rebus fidei esse non posse legitimum Criterium constanter affirmamus.

XXXIII. Sustinemus quoque, non posse dari aliquid Philosophicé verum, & Theologicé falsum.

XXXIV. In rebus sensibilibus evidentia sensuum est Criterium veritatis circà propria sensibilia, modó sensus sint recté dispositi, & omnia impedimenta removeantur.

XXXV. In rebus autem intelligibilibus nullum aliud Criterium veritatis assignamus præter intellectus evidentiam.

XXXVI. Adstruimus necnon humanam authoritatem in dogmatibus minimum valêre.

XXXVII. Ipsam in rebus historicis habêri posse, ut Critérium veritâtis asseverâmus; quamquam morâlem non excèdat certitudinem.

XXXVIII. De arte Critica ostendemus, ipsam non solúm Ecclesiæ, sed & Reipublicæ magnæ esse utilitatis.

XXXIX. Quolibet autem Ecclesiæ sæculo fuisse artis criticæ cultores tuemur.

ASSERTUM PRO SECUNDA DIE
Manè.
Fr. FERDINANDUS ROLDAN.

DE PHYSICA.

XL. MUndum existere, néminem sanæ mentis in dúbium revocâre posse, judicâmus.

XLI. Mundum autem ipsum Deum esse, longè à nobis sit.

XLII. Quarè Pantheistârum comméntum de mundo Deo manifesta absúrditas, & contradictio est.

XLIII. Respúimus Stóicos ipsum cónditum reponéntes ex necessitâte natúræ.

XLIV. Illum propteréa crédimus â Deo cónditum ex liberá voluntâte.

XLV. Mundum non fuisse á Deo factum ex materià æternà, improductà, præexistente, fatêmur.

XLVI. Aseverâmus proindè productum fuisse ex nihilo.

XLVII. Non immorâmur in explanánda Platônis mente círcà mundi productiônem, quidquid de illo sénserint Ecclésiæ Patres.

XLVIII. De mundi ætate nihil certò affirmâmus.

XLIX. Circá tempus verò, quo cónditus credâtur, verno fuisse, probábile judicâmus.

L. Sunt qui ásserant, & quidem probabili-

babilitâte nixi, die Dominica incepisse.

LI. Quamvis itaque multiplicem Mundôrum númerum *hæresim* vocâre cum Albérto Magno, eàmque opiniónem inter hæreses ab Apòstolis, & Sanctis Pàtribus damnâtas enumerâre cum Divo Isidóro, non audeâmus; certó tamen, constantérque defendimus unicum esse mundum.

LII. Hoc non obest, ut inspecta Dei absolúta potentia; ipsemet possit alios, & alios prodúcere in infinitum.

LIII. Mundum in suo génere perfectum esse, res est Doctórum omnium firmâta consensu.

VESPERè.

Fr. JOSEPHUS LOPEZ.

LIV. ANilibus fabulis accensénda est assértio de Planetârum incolis, sivè Sacras Litteras consulâmus, sivè ad recentiôrum principia ratiocinêmur.

LV. Planeticolarum proindè existéntiam, neque à Cathólico Viro, neque à cordáto Philósopho sustinêri posse tenêmus.

LVI. Magno nititur fundaménto illôrum opinio, qui Solis substantiam igneam esse, propúgnant.

LVII. Sedem Inferni sub terrà, non in Sole constitûtam esse sentímus.

LVIII. Solem deinde, globósæ figúræ semper, & ubîque apparêre, sivè armátis, sivé nudis óculis inspiciâtur, contendêmus.

LIX. Lunam corpus esse opacum totum suum lumen à Sole recipientem communis Philosophorum tenet consensus.

LX. Lunæ corpus esse asperum, pluribus nempe depressis, & prominentibus partibus interruptum asseveramus.

LXI. Non recedimus ab Astronomis variabiles Lunæ maculas, montium Lunarium umbras statuentibus.

LXII. Quas in Lunâ phases nudis óculis observamus; eásdem in Venere præcipuè, ac Mercurio ope Telescopii duodecim pe-

pedum observari posse fatemur.

LXIII. Dari posse non modo Lunæ, sed & Solis eclypses propugnamus.

LXIV. Oritur Lunæ eclypsis, cum totâ, vel aliquâ sui parte umbræ telluris immergìtur.

LXV. Oritur Solis eclypsis ab umbrâ Lunæ in tellúrem projectâ.

LXVI. Christo in Cruce pendente tenebras factas fuisse super universam terram fide docemur.

LXVII. Causam talis obscurationis sub lite esse inter D. D. sentimus.

LXVIII. Nos autem in eâ sumus sententiâ, ut non fuisse inductam, neque à tenebrosis nubibus, neque à maculis Solaribus afirmemus.

LXIX. Maris originem immediatè à Deo repetendam esse in ipso mundi nascèntis exórdio totà animi contentiône disputâmus.

LXX. Agnóscimus nonnúllas partes terræ elevatiòres esse nonnullis pártibus maris; probabilius tamén tenêmus univer-

sum

sum mare universà terrà esse elevátius.

LXXI. Dilúvium Noëticum universale fuisse, & ad omnes omninò terræ plagas se extendisse, constánter propúgnâmus.

LXXII. Necnòn sustenimus tellus antè, & post dilúvium plúrimas subiisse mutationes.

ASSERTUM PRO TERTIA DIE
Mané.

Fr. JOSEPHUS ARENZANA.

DE ANIMA.

LXXIII. ANimam hòminis non consistere in mechanismo materiæ, sed esse substantiam natúra sua incorpóream, & inmateriálem firmiter tenêmus.

LXXIV. Respúimus protereá Tollandum,

dum, Hobbésium, Covvàrdum, Spinósam, Gildonum; Helvétium, aliosque humani generis pestes in mechanismo matériæ ánimam reponêntes.

LXXV. Credimus etiam animam hominis natura sua esse incorruptibilem, & immortálem.

LXXVI. Negâmus autem quòd unica sit universôrum hóminum ánima intellectiva.

LXXVII. Paritér propugnámus in quólibet homine tantúm unam esse ánimam.

LXXVIII. Hanc veró omnia vitæ múnera præstáre certo cértius judicâmus.

LXXIX. Illud quoque nobis est firmiter tenèndum ánimas humánas nullómodò fiéri posse, sivè ex tradúce carnis; sivè ex tradúce ánimârum parentum.

LXXX. Quarè à Deo immediatè creátas esse omnibus cathòlicis in confésso est.

LXXXI. Audiéndus propterea non est Apolináris, qui ex tradúce carnis ánimas

mas cénsuit.

LXXXII. Rejicimus quoque Platónicos statuentes ánimas initio mundi à Deo creátas esse anté córpora.

LXXXIII. Lóngè étiam à veritâte pósitos vidêmus asseréntes ab initio fuisse inclúsas corpusculis orgánicis.

LXXXIV. Eas autém quotidiè creari à Deo, cum córpora apté dispósita sunt ad eas recipiéndas, judicâmus.

LXXXV. Non tamén unîri corpóribus tantùm, ut motor móbili; vel ut rector diréсto, vel ut indûtus indumento, sentîmus.

LXXXVI. Esse veró per se, & essentialiter humáni córporis formas, fatêmur.

LXXXVII. Etsi vulgáta sit Pytagoreôrum senténtia de transmigratiône animârum ex uno in áliud corpus non modó humánum, sed & belluârum; fieri nullomodò posse, ut unîus hominis ánima de suo

suo in áliud tránseat corpus, nobis placet vindicâre.

DE DEO.

LXXXVIII. QUià *scelus esset*, inquiêbat Sócrates in Phœdónc, *de creatúris ágere, & opificem omittere* Atheôrum deliramênta confutántes ex Physicis, Methaphysicis, ex Morálibus Dei existentiam demonstrâmus.

LXXXIX. Prætereà Athéos dogmáticos ex ratióne Deum negántes, nullos fuisse, nequè esse posse affirmâmus.

XC. Athéos, qui fuérunt, & nunc etiám sunt, inter Scépticos computâmus.

XCI. Ex quibus integras natiônes Athéas esse non posse (ut Bœlii tenet opinio) apertè colligimus.

VES-

VESPERè,

Fr. PHILIPPUS SANCHEZ PASQUAL.

DE PRÆCIPUIS DEI attributìs.

XCII. A Deó solà ratiône duce Dei únitas conspicua est, ut méritò contra ipsum naturæ lumen errâsse dicêndi sunt, qui plures coluèrunt Deos.

XCIII. Homines ab Adámo usque ad dilúvium unum Deum coluisse crédimus, si Epiphánio, & Cirillo fides habênda sit.

XCIV. At quò primum témpore, & quo authôre céperint hómines post

post dilúvium ab uno vero Deo déflectére, non una est Scriptôrum opinio.

XCV. Quidquid de hoc sit; Deus ità unus est, ut tum ex fide, tum ex ratiône duo Marcionistârum, & Manichæôrum principia bonum, & málum excludântur.

XCVI. Etsi deindè Deum in suis decrétis mutâri posse, vetus docuérit Stoicôrum Schola, in his immutabilem esse omninò, propugnâmus.

XCVII. Non audîmus Judæos, Samaritános, pluresque Gentîles philosophos, qui Deum omnipræséntem fatentur per suam poténtiam sed asseveramus illum per suam substantiam, sive essentiam immensum esse.

XCVIII. Infinitam Deum habêre potentiam hînc méritò dici, & esse Omnipotentem, defensâmus.

XCIX. Quamquám præscientiam Deo negavêre vèteres quamplúres Philosophi, Deum esse omniscientem, tenêmus.

C. Pro corónide dari in Deo rerum omnium, quantumvis minimârum Providentiam, & Gubernationem, sentimus.

FINIS.



[illegible]

FINIS

[illegible]

